



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Novæ Observationes Et Additiones Ad A. R. P. D. Bartholomæi Gavanti Congreg. Cleric. Regul. S. Pauli ac Sac. Rit. Congregat. Consultoris Commentaria In Rubricas Missalis Et Breviarii Romani

Adjectis Summorum Pontificum & Sac. Rit. Congreg. Decretis usque ad
præsens emanatis

Complectens omnia Gavanti Commentaria in Rubricas Breviarii - Cum
Indicibus Decretorum, Rerum atque Verborum notabilium

Merati, Gaetano Maria

Augustæ Vindellicorum, 1740

VD18 10783695-002

De Dominica quarta Adventus. III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39775

ularis celebrari intra illud tempus potest cum Octava, sed etiam Octavæ jam antecederent cceptæ, seu inchoatæ tunc abrumuntur, ita ut nil amplius, ne quidem Commemoratio de ea fieri possit in Officio, & Missa, ut expressè præscribit Rubrica generalis VII. Breviarii in fine num. 1. Quare si occurrat dies Octava Festi habentis Octavam, v.g. Titularis Ecclesiæ, Dedicationis &c. in die 17. Decembris, ne quidem in pridianis Vesperis fieri debet Commemoratio de die

illa Octava: cum enim sequenti die, dies Octava Festi Officium non habeat, nec etiam conveniet, ut habeat primas Vesperas etiam tantum partiales, aut Commemorationem ex primis Vesperis, uti ad citatam Rubricam discurret noster Gavantus *sect. 3. cap. 8. num. 9. ac 13.*

Huc spectant Decreta edita à S. R. C. die 17. Novembris 1607. & die 17. Maji 1692. & quæ dantur in nostro Indice sub num. 30. & 170.

Cap. III De Dominica quarta Adventûs.

caret novis Observat. & Additionibus.

Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

Cap. IV. De Vigilia Nativitatis Domini.

I. Gavant. pag. 85. col. 2. n. 1. -- *Si Vigilia venerit in Sabbato &c.* De hac Vigilia, quando venerit in Sabbato, satis disponitur in Rubricis Breviarii hujus diei, nimirum quomodo recitandi sint Psalmi ad Laudes; sicut etiam satis disponitur, quomodo recitandum sit Officium, quando occurrat in Dominica 4. Adventûs; unde hoc loco ea præmittimus, cum facillè legi possint in eodem Breviario.

II. Gavant. pag. 85. col. 2. num. 4. -- *Legitur Martyrologium cum majori quàm aliàs sollemnitate &c.* Hic breviter innuit Gavantus, quòd hac diè cantatur Martyrologium cum majori, quàm aliàs, sollemnitate, fufius verò describit hanc sollemnitatem *sect. 10. cap. 3. num. 7* sed adhuc aliqua desiderantur, quæ tamen describuntur tum à Castaldo *lib. 3. sect. 1.* tum à Bauldry *part. 4. cap. 2.* qui afferunt, Sacristam, aut alium ante Primam in medio Chori, vel ante Altare parare debere Pulpitum, seu Legile panis violaceo tectum, super quod ponitur debet Martyrologium grandioris formæ, si fieri potest, tectum etiam eodem colore.

In Sacristia parari debent duo candelabra cum cereis accendis, Amictus, & Alba, si his utitur Sacerdos cantaturus Martyrologium, deinde Stola, & Pluviale pariter violaceum; vel paretur Amictus tantum cum Cotta, & Pluviali, juxta Ecclesiæ consuetudinem. Thuriferarius etiam parat ignem pro Thuribulo, & Naviculam. Præfatus Sacerdos dum *Prima* cantatur in Choro sollemniter, induitur memoratis sacris indumentis, & dum dicuntur versus post Capitulum, præcedentibus Thuriferario cum Thuribulo, & Acolyto cum Navicula, necnon Ceroferrarius cum Cereis accensis, procedit ad locum in medio Chori, vel ante Altare ubi cantari debet Martyrologium, & factâ Altari ab eo, & à Ministris debitâ reverentia, sicut in Missa sollemni, dum dicitur Oratio: *Domine Deus omnipotens*, ministrantibus Acolythis imponit ter incensum in Thuribulum cum solita benedictione, formans signum Crucis, ut de more; deinde accepto Thuribulo ter incensat Martyrologium, interim Acolyto elevante simbriam Pluvialis à dexteris, & post incensationem, Thuriferarius accepto Thuribulo, post eum stat